


11
de la... en favor... de la...
de la... de la... de la...
de la... de la... de la...
de la... de la... de la...
de la... de la... de la...
de la... de la... de la...
de la... de la... de la...
de la... de la... de la...
de la... de la... de la...
de la... de la... de la...
de la... de la... de la...

[Large handwritten flourish]

[Handwritten signature]



Rex Catholicus memor. 3. a. supant^o
de demore Rey.
alof verbalmente alega
los Padres de S. Domingo.

3
Montenegro 69
Beat. me Later

Montenegro 69

27

4

Aduersus ea media quæ Rex Catholicus S. P. proposuit ad uitanda in suis Regnis scandala in controuersia
Conceptionis immaculatæ gloriose Virginis Maria Insurgunt modo Patres Dominicani contendentes
ea esse impossibilia rationibus sequentibus.

Primo dicunt sibi non posse præceptum imponi ut Conceptionem Beatæ Virginis celebrent sub nomine ac ti
tulo Conceptionis, quia cum ipsi teneant Beatam Virginem cum originali fuisse conceptam si celebrant
eius Conceptionem immaculatam sub nomine Conceptionis, iam mentiuntur in materia graui, et consequen
ter peccent mortaliter, et sic hoc illis præcipere, esset præcipere ut mortaliter peccent.

Certe super hoc audiendi non essent, cum Romana Ecclesia quæ est omnium Magistra sub nomine, ac ti
tulo Conceptionis celebret, et ipsi idem facere debuisent sine disputatione, nam ut dixit Augustinus
epist. 118. ad Januarium si quid horum per orbem frequentat Ecclesia, nam et hinc quoniam ita faciendum
sit disputare insolentissima insania est, Hæc Ille. Præterea sciunt isti Patres quod quando aliquis ha
bet opinionem probabilem de aliqua re potest practice oppositum dicere, et docere sine mendacio, imò tene
tur id facere si iubeat Superior, et ut ad hominem loquar ipsi habent præceptum ut omnes doceant, et præ
dicent doctrinam S. Thomæ quamuis aliquando sentiant oppositum, et apud ipsos obseruatur sine præiudicio
veritatis, quia sciunt talem doctrinam esse probabilem, et se accommodant Sancto Doctore non obstante quod
in particulari aliquis oppositum sentiat, ergo eodem modo se possunt Ecclesiæ accommodare in celebratione
Conceptionis immaculatæ sub titulo Conceptionis, quam sine temeritate non possunt negare esse probabilem.
Adde quod iam ipsi ad uitanda scandala instigante conscientia aliquando se accommodarunt, ut constat ex Li
bro Missali, et Martyrologio S. P. nuper exhibitis, et in Vniuersitate Osunensi ab eius fundatione ut prima
riam Cathedram possint obtinere, et magistrj gradum recipere, jurant se docturos et defensuros immacula
tam Virginis Conceptionem, et omnes Episcopi ab hoc Dominicano ordine assumpti etiam sub titulo Con
ceptionis celebrant quod etiam facit eius dimidiatus ordo in tota Gallia, soli isti paucissimi discordant à Ro
mana Ecclesia non se uolentes conformare, quod certe non solum est contrarium doctrinae S. Thomæ, sed etiam
decretis Pontificum, et Patrum ut iam patebit.

S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 12. in corpore hæc habet uerba. Maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetu
do quæ semper est in omnibus emulanda, quia et ipsa doctrina Catholicorum doctorum ab Ecclesiâ auctori
tatem habet. Vnde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati uel Augustini, uel Hieronymi
uel cuiuscumque Doctoris. Hæc Ille. Cur ergo consuetudo celebrandi Conceptionem Virginis sub titulo Concep
tionis ab his qui iurant huius Sancti doctrinam non emulabitur?

Idem habetur cap. his per totum dist. 12. et cap. finali dist. eadem in hæc uerba. Placuit omnibus communi
consensu, ut unus atque idem psalendi ordo in matutinis, et uespertinis officijs teneatur et non diuerse ac pri
uate nec Monasterij consuetudines, cum Ecclesiastica regula sint permixta hæc ibi. Si ergo in modo
canendi non uult sus diuersitatem in Monasterijs etiam consuetudine firmatam, quomodo sustinebit diuer
sitate in celebratione ipsa festiuitatum? Vnde doctè satis Petrus Damianus lib. de Dominus uobiscum
cap. 7. ait Doctores Ecclesiæ unum nos docere ordinem in officijs inuolabili semper obseruatione tenere
et Diuus Hieronymus super illud ad Rom. 15. uno ore honorificetis Deum dicit. tunc uere Deus-

honorificatur si uno animo et concordi uoce laudatur, Notentur illa uerba concordi uoce, Deus enim laudibus non uult uocum diuersitatem.

Tandem Innocentius primus epistola decretali ad Decinium Episcopum hæc habet, oportet eos sequi. Ecclesia Romana custodit à qua eos principium accepisse non dubium est, nedum peregrinis seruis student caput institutionum uideantur omittere. Sepe dilectionem tuam ad Urbem uenisse ac ne Ecclesia conuenisse et quem morem uel in consecrandis mysterijs, uel in ceteris agendis hæc agnouisse dubium non est quod sufficere ad informationem Ecclesie tuæ, uel reformationem si prout minus aliquid, aut aliter tenuerunt satis certum haberem nisi de aliquibus consulendos nos res. Si ergo Innocentius satis putabat Romanam Ecclesiam ceremonias uidisse, ut alia Ecclesia illam marent, quanto magis putaret sufficiens Romanam Ecclesiam, et omnes per orbem conceptionem Maria sub titulo Conceptionis uoce aperta celebrantes audire, ut se illi conformaret dimidiatorum ordo, et non uterentur peregrina illa Sanctificationis uoce, ac festo nulla Ecclesie auctoritate ut dixit Catherinus Archiepiscopus ex ordine S^{ti}. Dominici tractatu de ueritate Conceptionis factos in Concilio Tridentino p. 2. cap. 2. S. sunt qui his uerbis. Festum autem sanctificationis postremo de superfluo est introductum ad emulationem aduersus Ecclesiam quæ sub nomine Conceptionis celebrat ab eis qui falsam celebrationem illam putabant, ne autem ea die omnino celebrarent Sanctum festum nulla Ecclesie auctoritate probatum inuenerunt, quod solum apud nostros, nec hoc in toto dimidiato ordine durat hæc ille.

Secundo dicunt sibi non posse imponi silentium in actibus particularibus, quia id esset uirtualiter quod fide definitum, cum non remaneat facultas saltem inter priuatos parietes suam partem asserendi.

Ad hoc Respondetur id esse maxime necessarium, nam maiora, et grauiora scandala ab eis excitata actibus particularibus post decretum Pauli V^{ti} quam antea in publicis, ut constare poterit ex innumeris testimonijs, et epistolis ex uarijs prouincijs ad hanc Romanam Curiam missis, et quod magis ueracitate Catholici Regis qui sua Regna propter hæc scandala pacifice gubernari posse difficili opportuno remedio provideatur, nec hoc esset definire uirtualiter imò eo ipso quod huic doctrinae silentium declaratur formaliter et explicitè uenisse definitam ab Ecclesia nec intrinsece malam quidem ab extrinseco illi imponitur silentium, nec internus assensus manet prohibitus, negantibus mysterium non imponitur silentium, sed hæreticorum pena.

Tertio quod moleste obijciunt et quotidie inculcant de mente Sanctorum Patrum dicentes omnes et B. Virginem in peccato fuisse conceptam, ac proinde nihil precipiant Statui debere contra uniuersalem doctrinam nihil mouere debet S. V. nec retardare, ut quod iuste petitur, et fundatissimis deprecatur Rex Catholicus omnino concedatur. Etenim tantum abest ut Sancti Patres refragentur pugnabili de immaculata Conceptione sententia, ut potius ei ad stipulentur, et longe plures sunt qui eam quam impugnant. Dux namq sunt Sanctorum Patrum in hac controuersia Classes, una eorum qui loquuntur iuxta uniuersales Sancti Pauli, et Sacra Scripturae locutiones, sub quibus B. Virginem præhendi docuit Concilium Tridentinum, et ante illud Sixtus 4^{us} nec de Beata Virgine in partem quuntur prædicti Patres, quare nec maiorem uim habent eorum uerba, quam generales assertiones quæ huic sententia de immaculata Conceptione, quin ubiq doceri, celebrari, et firmiter teneri officiant, præterquam quod ipsi hi Sancti Patres alias etiam clariore uniuersales locutiones habent, maiori cum fundamento et probabilitate deduci possit B. Virginem non contraxisse peccatum.

dum uniuersaliter, et in genere eam dicunt ab omni peccato alienissimam. Alia producitur Sanctorum Patrum
 Classis qui in peculiari affirmant Virginem peccatum contraxisse, circa quos hoc solum uelimus à S. P. considerari
 eos penè omnes (præter unum aut alterum uidelicet Diuos Bernardum, Thomam et Bonauenturam qui etiam
 sacratissimam Virginem pluribus in locis ab originali labe defendunt) falso et sub enormi corruptela citari
 à Vincentio Bandello, alijsq; Dominicanis qui eum transcripserunt, ita ut aliquando ad Sanctorum Patrum uerba
 alia multa addantur, multa taceantur, quedam mutilentur, et plurima interserantur, ita ut uelint nolint contra
 suum sensum Sancti Patres alieno ore, uel figmento loqui cogantur, de quo si aliquod irreperit dubium circa
 quemcunq; ex ijs qui pro contraria parte citantur, id ipsa rei euidencia, et plena probatione ex ipsis illorum Codi-
 cibus, et correctissimis, aut antiquis editionibus manifestè probabimus.

